

subtiliores quidam homines invexerunt, a quibus certe longe lateque discrepant peritiles illæ quæstiones, quas S. Thomas, Doctor Angelicus, in Summa sua Tripartita, & in libris contra Gentes, alique antiquiores Theologi Scholastici, de possibilitate Mysteriorum Fidei, & de modo, quo peracta sunt, gravissime, ac perdocte ventilarunt. Tantum vero abest, ut Theologos Scholasticos flocci faciam, aut eorum autoritatem elevare velim, ut potius illorum, sicut & Theologiæ Scholasticæ, quæ tamen, ut par est, cum Theologia Positiva, seu Dogmatica, amico fœdere sociari debet, Apologiam, ac vindicias data opera adornaverim secunda Parte Tomi IV. Historiæ meæ Ecclesiasticæ, ubi etiam diluo omnes calumnias, quibus Theologos Scholasticos incesere, & Theologiæ Scholasticæ studium mordaci & virulento calamo repudiare ac carpere Hæreticis solemne est. Hæc brevis, quam edidi, Theologiæ Scholasticæ adversus Hæreticos Apologia mentem meam cuilibet viro docto, & sincero abunde patefaciet, indeque, ut spero, omnes æqui bonique consultant istud qualecumque Opus, quod publica luce donavi, maxime cum illud (Deus scit) nulla ambitione abreptus, nec vana aliqua spe inescatus, lucubraverim, sed solo desiderio impulsus facilem Theologiæ Candidatis sternendiam ad Historiæ Ecclesiasticæ studium, quod Clericis, ac Viris Religiosis, qui Ecclesiæ, uti tenentur, inservire volunt, omnino necessarium esse, nemo est, qui in dubium revocare possit.

FINIS TOMI PRIMI.

FR. IGNATII HYACINTHI AMAT
DE GRAVESON

ORD. FF. PRÆDICATORUM

SACRÆ FACULTATIS PARISIENSIS DOCTORIS,
ET COLLEGII CASANATENSIS THEOLOGI,

OPERA OMNIA

NUNC PRIMUM DILIGENTER COLLECTA, IN UNUM CORPUS
REDACTA, ET LUCULENTISSIMIS ADDITIONIBUS,
PERPETUISQUE ANNOTATIONIBUS ILLUSTRATA

AB ILLUSTRIS. ET REVERENDISS. D. D.


JOANNE DOMINICO MANSI

ARCHIEPISCOPO LUCENSI.

TOMUS QUINCTUS

COMPLECTENS

Historiæ Ecclesiasticæ N. T. volumen secundum, nempe quintum
& sextum Ecclesiæ Sæculum.



BASSANI, MDCCLXXIV.

SED PROSTANT
VENETIIS APUD REMONDINI.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

PRÆFATIO HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

Studioſo Lectori neceſſaria.

HISTORIAM duorum Eccleſiæ ſæculorum, quinti videlicet & ſexti, deſcribendam adgredimur, unius quidem Tomi anguſtiis comprehenſam, nullo tamen rerum magnitudinis detrimento, nulla veritatis facta injuria. Lectori curioſi & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudioſi votis pro viribus facere ſatis ſtuduimus. Delectabit ſiquidem curioſi Lectori animum inſolentia eventuum, qui ſæculo quinto contigerunt, nimirum Occidentis Imperii extinctio, varia Regnorum exordia *Turcelingorum* ſub *Odoacro*, & *Oſtrogothorum* ſub *Theodorico* in Italia; *Francorum* & *Burgundionum* in Galliiſ, *Wiſigothorum* in Hiſpaniis, *Anglorum* in Britannia Inſula, *Vandalorum* in Africa. Ad has Occidentalis Imperii, Regnorumque permutaciones accedunt diuturna bella, quæ duo perfidi & ambitioſi homines, *Rufinus* Tutor *Arcadii* Imperatoris Orientis, & *Silico* Tutor *Honorii* Imperatoris Occidentis concitarunt adverſus duos illos Imperatores, quos adhuc pupillos eorum fidei ac curæ *Theodoſius* Imperator propediem moriturus commiſerat. Tot funeſta bella excipiunt varia turbæ in Eccleſia excitatæ ab Imperatoribus Orientis *Zenone*, & *Anaſtaſio*, quorum primus promulgato ſuo Edicto, quod *Henoricon* appellatur, univerſam perturbavit Eccleſiam; Alter vero Eutyſchianæ Hæreſis fautor inter præcipuos Eccleſiæ hoſtes jure optimo annumeratur. Hinc multæ manarunt perſecutiones, quibus ſub finem quinti, & initium ſexti ſæculi afflicta fuit Eccleſia, maxime, cum id temporis nulli in toto orbe principes eſſent, excepto *Clodoveo* Galliarum Rege, qui Catholicam Fidem profiterentur, *Anaſtaſius* quippe Orientis Imperator Eutyſchianæ Hæreſi, ut mox diximus, aperte favebat *Theodoricus* Italiae Rex, necnon *Alaricus* Wiſigothorum Rex, quæ Hiſpaniæ & parti Gallia dominabatur; Rex quoque Burgundionum, & Rex Vandalorum in Africa, in luto Arianæ Hæreſeos hærebant; cæterarum vero Orbis gentium Reges denſiſſimis Idolatriæ tenebris erant immerſi.

Verum, quemadmodum tot variorum eventuum narratio curioſi Lectori animum oblectabit, ita non minorem, ut ſpero,

voluptatem percipiet Historiæ Ecclesiasticæ studiosus Lector, dum percurreret Historiam Hæresum Nestorianorum, Eutylianorum, Pelagianorum & Semipelagianorum, quæ in quinto sæculo emerferunt, diuque Ecclesiam infestarunt; dum perlustrabit Concilia, in quibus aut prædictæ Hæreses proscriptæ sunt, aut collapsa Ecclesiæ Disciplina fuit instaurata; dum insuper expendet famosam illam ac celebrem controversiam *de tribus Capitulis*, quæ in sexto sæculo multas in Ecclesia excitavit tragœdias, & qua nulla ab ipso Christiani nominis exordio fideles inter sese concertatio tenuit aut partium dissidentium ardore pertinacior, aut controversæ quæstionis sublimitate dignior, aut eventuum varietate feracior; dum postremo originem dissensionis, quæ occasione doctrinæ Origenis extitit S. Joannem Chryostomum inter & S. Epiphanium, S. Hieronymum, & Joannem Antistitem Hierosolymitanum perspectam habebit, scietque genuina Opera accurato Criterio discernere a dubiis & spuris Sanctorum Patrum, qui in quinto & sexto Ecclesiæ sæculis floruerunt, quique in rei Orthodoxæ tutelam vigilantissime excubantes contra insurgentium Hæreticorum impetus impavidi steterunt, & serpentes eorum errores doctissimis suis lucubrationibus confutarunt. Hos inter S. Patres præfulget potissimum S. Augustinus, qui prostratos Arianos, Manichæos & Donatistas, Pelagianorum & Semipelagianorum Hæresim per viginti annorum spatium herculeo labore & adamantino pectore oppugnavit, eamque tandem tot annorum diuturnitate roboratam, tot instar hydræ redivivam cladibus, tot superbam exitiis, tot locis longe lateque diffusam debellavit, vicit, profligavit, atque ad medicinalis Christi Servatoris nostri ad singulos pietatis actus necessitatem defendendam invicta arma posteris suppeditavit, sicut testatur S. Fulgentius lib. 2. de verit. Prædest. & Gratiæ his verbis: *Turris fortitudinis ipsam gratiam tenens, & exinde cunctas hostium machinationes telorum celestis juvaminis virtute confringens (Augustinus) non solum ipse de hoste victoriam referens triumphavit, quin etiam posteris certandi, & vincendi ordinem, si quando victa pravitas recidivo ausu infandum caput erigere niteretur, ostendit.* In his, inquam, & aliis id genus perdiscendis, sicut & in lectitandis gestis Summorum Pontificum, qui sæculis quinto & sexto Ecclesiam sanctissime rexerunt, atque demum in comparanda notitia Doctrinæ, Disciplinæ & Moralis Christianæ, quæ in istis duobus sæculis viguerunt, non parum voluptatis a Lectore Historiæ Ecclesiasticæ studioso perceptum iri certissime confido. Quapropter necessarium non est, ut ei jam sponte currenti calcaria addam, sed solum velim ut duo hic breviter observet, quorum notitia ad uberiolem dilucidationem rerum, quas deinceps dicturi sumus, apprime necessaria est.

In

In primis, cum in Historia quinti & sexti Ecclesiæ sæculorum sæpe de *Diptychis Ecclesiasticis* mentio occurrat, præsertim occasione *Acacii* Patriarchæ Constantinopolitani Hæresi Eutylianæ clam addicti, cujus nomen Romani Pontifices e Diptychis Ecclesiasticis eraserunt, nec pacem Ecclesiæ Orientali concesserunt, nisi postquam ipsamet tandem consensisset, ut *Acacii* cæterorumque ejus sequacium infausta nomina ex Græcarum Ecclesiarum Diptychis obliterarentur; præstat ut in antecessum paucis hic exponamus, quid Diptychorum Ecclesiasticorum nomine intelligendum veniat, & quis eorum in sacris usus fuerit.

Diptycha itaque Ecclesiastica nihil aliud erant, quam membranacei, seu chartacei Codices, in quibus nomina Episcoporum, & aliorum Catholicæ Ecclesiæ Fidelium erant inscripta, & in hoc distinguebantur a prophanis Diptychis, quibus novi Consulibus nomen aureis characteribus singulis annis scribebatur, quod Diptycha prophana, seu consularia, essent Tabulæ non membranaceæ, sed eburnæ, ut colligitur ex Codice Theodosiano, ubi extat Rescriptum ab Imperatoribus *Valentiniano*, & *Theodosio* datum anno CCCLXXXIV. his verbis conceptum; *Illud etiam Constitutione solidamus, ut, exceptis Consulibus ordinariis, nulli prorsus alteri auream sportulam, Diptycha ex ebore edendi facultas sit. Cum publica celebrantur officia, sit sportulis nummus argenteus, alia materia Diptychis.* Hæc prophana, seu consularia Diptycha non uno loco inter antiquissima Cimelia inventa publicavit *Alexander Uvithelmus*, eaque perdocto Commentario illustravit. Porro, ex his prophanis, seu consularibus Diptychis, ut optime observat *Card. Norisius* in *Dissertatione Historica de Synodo V. capite quinto, Catalogi*, in quibus Episcoporum, aliorumque fidelium erant inscripta nomina, *Diptychorum* nomen deinceps mutuari cœperunt, & consularia Diptycha postea sacra, & Ecclesiastica evaserunt, quæ licet, ut mox diximus, eburnea non essent, sed tantum membranæ quædam, has tamen membranas coopertoriis, seu operculis ebores, vel alterius pretiosæ materiæ tegumentis inclusas fuisse indicat *Fortunatus* lib. 10. car. 7. de Natalitio die S. Martini Turonensis ad *Childebertum* Galliarum Regem, ubi ait:

*Nomina vestra legant Patriarchis atque Prophetis
Cui hodie in templo Diptychus edit ebur.*

Ecclesiastica Diptycha alia erant *Viventium*, alia *Mortuorum*; nam diversis libris eorum nomina scribebantur. Id liquido patet ex litteris *Attici* Patriarchæ Constantinopolitani ad *Cyrillum* Patriarcham Alexandrinum de restituto Diptychis Ecclesiasticis Sancti Chryostomi nomine, ubi hæc scribit: *Mentio namque ejus (seu Chryostomi) fit cum Defunctis non solum Episcopis, sed & Pre-*
Graves. Hist. Tom. 11. a 3 sby-